



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philosophistæ Seu Excerpta Pauca Ex Multis Libris, Thesibus, Dictatis Theologicis

[S.l.], [ca. 1692]

1690. Collegium Pictaviense sub P. Du Bois.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39173

Circa initium hujus anni mortuo Patre Gueslé 1690. Theologia in Pictaviensi Societatis Collegio Professore, in ejus locum successit Pater du Bois, qui muneris sui initium duxit à peccato Philosophico, quod sub involucro casus metaphysici, ut incautos deludat, protulit. Nimirum jam Romanam censuram presagiebant. Is Tract. de peccatis, ubi de peccato mortali, ut tale fiat, ex parte intellectus plenam rationis advertenti am requiri docet: Quia inquit numquam est peccatum nisi adfit consideratio divinæ offensæ aut periculi ejus, quamvis non necesse sit ut expressè agnoscat sub ratione offensæ mortalis: quia tò mortale dicit pœnam mortis: pœna autem est præter intentionem agentis; sed tamen necesse est ad peccatum mortale, ut cognoscatur in ratione offensæ gravis in Deum: quia nullum est peccatum nisi sit voluntarium. . . . & nullum peccatum grave, nisi sit voluntarium ut grave. Atqui non est voluntarium ut peccatum & ut grave, nisi ejus advertatur malitia & gravitas.

Probat in consequentibus plenam esse debere advertentiam illam rationis superioris, plenumque voluntatis consensum. Tum subjicit: Peccatum mortale ideò formaliter esse peccatum mortale, quia liberum Dei contemptum formalem vel virtuales continet. Unde objectionibus respondens asserit. Quod furta, blasphemix & similia quædam peccata ante Dei prohibitionem habent malitiam aliquam objectivam, quia non possunt rectè appeti; imò malitiam moralem, si liberè fiant; sed non mortalem, quia per ea Deus non contemnitur, sed tantùm natura rationalis dedecoratur. Quare dicuntur peccata Philosophica, non logica.

Theo jic. 3. Contemnens rationem eo ipso contemnit
Ob iter Deum. Ergo frustra affertur discrimen
formal peccati

peccati Philosophici quod sit contra rationem, & Theologici quod sit contra legem Dei.

Resp. Si quis in aliquo casu metaphysico, qui numquam contingit, absque omni etiam virtuali Dei præcipientis aut prohibentis notitia furtum, adulterium, &c. committeret, peccaret quidem, inquiunt Lessius, Henriquez, De Lugo, peccato gravi Philosophico, sed non mortali & Theologico. Illud autem peccatum Philosophicum neque esset mortale, neque privaret hominem gratiâ, neque esset dignum pœnâ æternâ. Non esset mortale, quia posset stare cum amore Dei super omnia.

Fatetur etiam infra inde bene sequi: Eum qui furta, homicidia &c. committeret, Deum non actu cogitans, non peccaturum mortaliter . . . & hanc sequelam posito illo casu metaphysico moraliter impossibili, nihil habere absurdi.

Sed quam parum tutum sit istud munimentum, in quo se recipit Philosophista vel inde manifestum est, quod ipsa experientia Jesuitarum consterit infideles innumeros de Deo nihil unquam audivisse nec cogitasse quicquam. Quod enim P. Dubois oggerit, Infideles duo nota habere 1. Confusè & in genere aliquod numen seu supremum terræ ac cœli Dominum. 2. Illud Numen esse peccatorum ultorem, aut impium est, aut falsum ac ridiculum. Illud enim aliquod numen quid aliud est quàm ipse cacodæmon aut scelerati homines omnium criminum rei ac incentores, in quos Sacrosanctum Dei nomen impiè transfertur ab infidelibus. Deinde quicquid sit de ignorantia Dei, quot, bone Deus! etiam fideles de Deo non cogitant dum criminibus indulgent, quot quantique nec ad malitiam formalis offensæ Dei actu advertunt, nec Deum presentem cogitant cum violenta tentationi uliro succumbunt.

COLLEGIUM MASSILIENSE.

1691.

Sub hujus anni exordium, cum jam ante quinque
menses